procrearet : at poſtquam coram tyrannis ſtetit eiſque a locuta eſt eorumque rabiem, & tyrannidem experta, tunc filiorum multitudinem valdè numeroſa facta plenaque habet ubera ad multos filios alendos, ac procreandos, de eaque dicitur : *Erunt ubera tua, ſicut botri vineæ*.

Cantic 7. Lucif. Cal. Cantic 7 num 8. Unde præclarè Lucifer Calaritanus. *Moriendum eſſe pro filio Dei*; Sic invehitur in Conſtantium Imperatorem in Catholicos ſævientem : *Advertis*, ait, *quomodo caduca dominatio tua, quantò contra nos ſævire dignatur, tantò ea judicatur eſſe infirma, contemptibilis, inanis, debilis, & abjecta; furore enim, & ſcelere concitata manus tua ad perimendum nos quoties prævaluit, toties nos creviſſe, & magis atque magis victores exitiſſe, meminimus*.

D. Bern. Ex quo dixit D. Bern. ſerm. 19 in Cantic. *Adverſus Eccleſiam pugnatum eſt hoſtili animo, damno utili*.

D. Chryſ. Et D. Chryſoſtomus homil. 7. de laudibus Pauli; *per quæ eos opprimere volumus, per ea ipſa provehimus*. Et poſtea ſubdit: *Quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia erant auxilia*.

Quæstio XLV.

Quare hæc Candelabra erant aurea?

330. *Eccleſia tota aurea eſt.* HÆc candelabra non erant lignea, plumbea, argentea, ſeu lutea ſed aurea; nam hæc candelabra Eccleſiam denotabant: *Candelabra ſeptem, ſeptem ſunt Eccleſiæ*. Apocal. 1. num 20. Hinc optimè ex auro erant; nam inter omnia metalla, aurum eſt maximè ſplendidum, pretioſum, purum ac perdurabile; & quamvis aurum in terra ſit, nullam rubiginem nec maculam contrahit à terra. Quidquid in ſancta Eccleſia eſt, nempe gratia ſanctificans, juſtificans, virtuteſque omnes, tam Theologicæ, quàm morales, donaque cœleſtia tota aurea ſunt; putà, valdè pretioſa, ſplendida, pura, ac in æternum permanentia; & cum in terra ſit, nullam maculam nec contagionem habet à terra.

Pſalm. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*. Pſalm 44. num. 10 & poſtea: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis*. Ibidem num 14. Ubi, juxta communem Patrum ſenſum, ſermo eſt de Eccleſia; quid eſt, quòd ornamentum Eccleſiæ, non ex alio

D. Athan. D. Cyrill. D. Hieron. D. Thom. Caſſiod. Beda. Haymo. Valentia. componitur, niſi ex auro? Per aurum D. Athanaſ. D. Cyrillus. D. Hieronym. virtutes Theologicas intelligunt. D. Thomas, Caſſiodorus, Beda, Haymo, Valentia, D. Auguſt. Ruffin. Hugo, ſapientiam, ac intelligentiam Scripturarum interpretantur. Et quamvis Eccleſia ſit in hac inferiori parte orbis, nullam inde contrahit maculam. *In fimbriis aureis*; Fimbria ultima pars eſt veſtimenti, & nullam participat contagionem à terra, ſed tota aurea, & pura eſt.

331. Plin. Secundò. Auctore Plinio lib. 33 hiſtoriæ naturalis, cap. 3. Ea eſt auri natura, ut nihil ejus igne depereat ſed tota materia ejus in incendiis

Eccleſia perſecutionibus non perimitur ſed magis perficitur. duratur, ac conſervatur : imo quò ſæpius arſit, ad bonitatem proficit: accedit etiam quòd nec aliud metallũ latiùs dilatatur, aut numroſiùs dividitur. Sic igitur Eccleſia plena charitate, quæ per aurum ſignificatur, nihil igne perſecutionum deperit, ſed magis perficitur. Juxta

2. Cor. 12. Viegas. illud 2. Cor. 12. n. 2. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtiis pro Chriſto cum enim infirmor, tunc potens ſum* : Ac ſi dicat, nihil virtutis, ac conſtantiæ mihi in tribulationum flammis deperit, quin potius tunc evado firmior, ac potentior; ipſumque virtutis aurum, Chriſti gratia, magis reſplendet.

332. Tertiò Candelabrum, cum habeat lumen, fidem denotat; cùm erectum ſit, ſpem innuit, ut dixi ſuperiori quæſtione; cumque ſit malleo fabricatum patientiam ſignificat, aliaſque virtutes, ut in præſenti ponderat D. Bern. Senenſ.

D. Bernard. *Vidi ſeptem candelabra aurea, id eſt, ſeptem Eccleſias, ſcientia nitentes, ſapientia pretioſa ſolidatas, obedientia ductiles, doctrina ſonoras, ponderoſitatem habentes in moribus, & in tribulationis fornace proficientes*.

Omnes virtutes debent radicari in charitate. Candelabrum ergo tot virtutes denotans, aureum eſt, quia omnes prædictæ virtutes debent in charitate fundari, in illaque manere : aurum autem charitatem denotat; ut eſt ſatis vulgare : *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum*.

Apoc. 3. Apoc. 3. n. 18.

333. Alb. Magn. Quartò. Albertus Mag. *Dicuntur aurea*, ait, *ad differentiam hypocritarum, qui ſunt deaurati pulchra converſatione, ſed non aurei ſanctitate viſæ; vel ad differentiam illorum, qui dicunt ore, ſed non opere adimplent*. Per candelabra denotantur etiam Prælati Eccleſiarum, inde non deaurata, ſed aurea dicuntur; quia verus

In Eccleſia nulla eſt hypocriſis. Prælatus hypocriſim neſcit, nec enim aliud habet in exteriori aliud in interiori: ſed id, quod fulget, ac nitet in externa apparentia, intus habet in virtute firma, & ſolida.

334. Abſ. Abb. Quintò Abſalon Abbas ſerm. 30. *Sicut per Candelabrum*, ait, *Eccleſia ſic & per haſtile candelabri Chriſtus homo, & per calamos ejus rectè Prælati figurantur, ſicut autem candelabrum, & haſtile ejus ex auro puriſſimo erant, ſic etiam calami deſignantes Prælatos, qui aurum dicuntur, propter ſplendorem ſanctitatis*: Sicut Thren. 4. n. 1. dicitur : *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus*.

Prælatus nullam maculam, non contagionem à ſubditis contrahat. Sed cur prælati auro deſignantur? aurum purum, fulgidum, in terraque depoſitum, neque rubiginem, neque maculam è terra contrahit, ſed ſemper omnino ſuam ſervat puritatem. Eſt etiam fulgidum adeo, ut radios ſolis reverberatum, res ſibi vicinas efficiat, & reddat fulgentes; rectè ergo Prælatus auro comparatur, quia Prælatus inter impios & terrenos converſans, nullam ab eis maculam debet contrahere, ſed luce ſuæ doctrinæ cæteros debet illuminare, & accendere: ſic pergit cit. Abbas: *Prælatus Eccleſiæ in terra, id eſt, inter terrenos, & peccatores converſans, nullam maculam peccati ab illis contrahere debet, ſed omni diligentia ſervans cor ſuũ, munditiem mentis, & puritatem conſcientiæ retineat*.

335. Joachim. Sextò. Joachimus Abbas : *Aurea eſſe dicuntur*, ait, *quia pura ſunt corda juſtorum, quæ ſibi ad inhabitandũ Chriſtus gratiæ ſactificat largitate; abhorret enim omne falſum, qui Dei veritas eſt, abhorret omne factum, qui ſimplicis genitoris eſt filius*.

Sint pura, & aurea corda, in quibus Chriſtus habitat. Hæc candelabra non erant lignea, nec ænea, vel plumbea, ſed aurea, inter ea degebat Chriſtus D. Dei filius, & corda, quæ inſum [illegible], neceſſe eſt, ut ſint [illegible] ulla macula hinc candelabra non erant deaurata, ſed aurea : nam qui Chriſtum

Chriſtum habet exigitur, ut ſit verus, ac ſolidus, non fictus & apparens.

336. Aretas. Septimò. Aretas Epiſcopus : *Aurea*, ait, *dicit Ioannes fuiſſe conſtituta candelabra, propter pretium, & excellentiam eorum, qui divinam meruerunt ſuſcipere lucem*. Candelabra non erant

Ad excipiendam divinam revelationem magna merita neceſſaria. ex alia materia, ſed ex auro. In Candelabro lucerna, ac lumen ponitur, aurum omnia alia metalla ſuperat: inde Candelabra ex auro erant, quia ad divinam revelationum lucem, ac lucernam ſuſcipiendam, non parum, ſed magnum, ac perexcelſum requiritur meritum : *Propter pretium eorum, qui divinam meruerunt ſuſcipere lucem*.

337. Gen. 49. Jacob jam morti proximus, ut filios ſuos benediceret; ait illis Geneſ. 49. n. 2. *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis. Ruben primogenitus meus; tu fortitudo mea, & principium doloris mei : effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus. Simeon, & Levi vaſa iniquitatis bellantia*. Mandat bonus Pater, filios congregari, ut eis futura annuntiet : & cum ad congregatos loqui incipit, totus immoratur in annuntiandis præteritis, unicuique valdè notis.

Multa ſanctitas requiritur ad divina myſteria excipienda. Ruben objicit priſtinum crimen, quomodò patris lectum fœdavit Simeon, & Levi, quomodo principem Sichem occiderunt; ſi decreverat prædicere futura quomodo totus hæret in præteritis? Intendebat pater, illis aperire futura Divinitatis arcana, quomodo ex illis naſceretur Chriſtus Jeſus: & quia ad percipiendam tantam ſanctitatem, ac puritatem, auditores non erant digni, ideò Deus mutavit parentis decretum, ut diceret præterita, ac objiceret crimina, ob quæ incapaces erant, ut illis fieret revelatio Divinæ Incarnationis, ac Chriſti futuri, cum à puritate, ac ſanctitate Jacob multum diſcreparent : tanta enim illa myſteria ſolùm manifeſtabantur Jacob, qui ut ſanctus, & purus erat ad Divina myſteria percipienda admittebatur, à quibus repelluntur qui tali ſanctitate, ac puritate non fulgebant. D. Iſidorus Peluſiota lib. 1 epiſt. 305. dicens : *Cum Iacob, qui futura ſe dicturum promiſerat, præterita tantùm filiis ſuis narrat : verum Dei digito ſenſus ipſius tactus eſt, nam cum futuram ex ipſis Divinæ diſpenſationis Incarnationem, eis exponere conſtituiſſet, eorum, quæ propoſuerat, oblivione captus eſt, commutatis videlicet iis, quæ nondum facta fuerant, cum iis, quæ præterierant*. Perpende ſequentia verba : *Nam tu quidem*, inquit Deus, *commitentem tanto myſterio dignam conſecutus ſis, haud abs re, tibi quoque ipſius cognitio credita eſt; at iſti haud patri parem pietatem habituri ſunt*. Quæ ultima verba maximè rem declarant.

Cùm Stephanus lapidaretur, Act. 7. n. 55. ait: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei*, &c. Quid tunc Judæi? *Exclamantes voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum*. Stephanus videt Jeſum ſedentem à dextris Dei, at perfidi Judæi continent, ac obturant aures ſuas : non enim capiuntur divina myſteria ab impuris mentibus, impuriſque auribus. D. Nyſſen. orat. de S. Stephano : *Neque enim*, ait, *fuerunt dignæ prophanorum, & impurorum aures, quæ divinæ apparitionis exciperent narrationes*.

Apocal. 1. n. 13. Et in medio Candelabrorum aureorum, ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

Versiones.

Græcus Codex. Syriacus.	In medio Candelabrorum, *non addito aureorum*, & in medio candelabrorum, qui ſimilis eſſet filio hominis, indutus talari, & vinctus juxta mammas.
Arabicus.	Indutum veſte mirabili.
Oecumen.	Veſte ad pedes uſque demiſſa.
D. Cyprian.	Et erat præcinctus ſuper mammillas.

Expositio IX.

ET *in medio Candelabrorum aureorum*. 339.

Apoc. 2. Chriſtus medium tenet, tanquam omnium centrum *Similem filio hominis*, non conſiſtentem in uno loco, ſed ambulantem, ut dicitur

An Joannes viderit Chriſtum? cap. 2. num. 1. *Qui ambulat in medio Candelabrorum*: Ambulat, ut optimus Princeps, ut omnibus provideat, ſuperque omnes invigilet. *Similem filio hominis* : nempe Chriſtum hominem, homo homini ſimilis eſt, ipſeque paſſim filius hominis dicitur An Joannes revera viderit hîc Chriſtum Dominum in ſe ipſo? Affirmat

Gagnæus. Gagnæus, videri enim potuit in alio habitu. Nam corpus glorioſum poteſt apparere in alia forma, & habitu, quali voluerit. Verior eſt ſententia, quòd Joannes non viderit Chriſtum in ſe ipſo : nam hæc ei ſymbolicè repræſentabantur : ſicut dicitur c. 5. quod viderit ſedentem in throno, non vidit ipſum Deum, ſed aliquam ſpeciem Deum repræſentantem: ſpecies enim Chriſti objecta, & impreſſa fuit phantaſiæ

Ribeira. Corn. Sà. Stius. Menoch. Joannis, per Angelum, repræſentans ipſum Chriſtum. Ita Ribeira, Cornelius, Sà, Stius, Tirinus, Menochius, & alii.

340. *Veſtitum podere*, id eſt, talari veſte ad pedes uſque demiſſa, à pedibus enim nomen habet poderis, juxta radicem Græcam. Erat autem poderis veſtis Sacerdotalis : hæc autem duplex erat, una linea, altera hyacintina, quæ erat propria Summi Pontificis quâ induebatur: mihi probabilius, quòd Chriſtus hic apparuit inter Candelabra, tanquam Eccleſiarum curam gerens, & ad hoc alludit ritus Romani Pontificis, dum ipſe ſolus ſolemniter celebrat, ut circa ſe in altari habeat ſeptem Candelabra, ut ſummus Pontifex, ac moderator ſeptem, id eſt, omnium Eccleſiarum totius orbis.

341. *Præcinctum ad mammillas zona aurea*. Hîc fit alluſio ad cingulum veterum ſacerdotum, & Pontificum, qui valdè altè cingebant ſe; Zona autem aurea, quæ propria erat Summi Pontificis, conſtringit veſtes, illaque ſuum corpus

 firmans

Quid Zona aurea?

firmans, & roborans, ſignificans ſanctam diſciplinam quæ omnium m[illegible]ntem, phantaſiam, corpus, omneſque motus componit, à vitiiſque reſtringit: Deo, legique aſtringit. Eſt autem aurea, quia id facit, non per timorem, ſed per Dei amorem.

QUÆSTIO XLVI.

Quare Chriſtus apparuit in medio Candelabrorum?

342. CHriſtus apparuit in medio Candelabrorum, non ſedens, ſed ambulans, ut dicitur cap 2. verſ 1. de quo ibi agam. Nunc quæſtio inquirit cur Chriſtus apparet in medio, cum ipſe ſit omnium rerum principium, ac finis, Alpha, & Omega?

343. *Chriſtus omnium centrum.* Iſai. 12.

Reſpondeo. Primò, quòd Chriſtus D. tam in veteri, quàm in novo teſtimento, medium tenet, tanquam utriuſque centrum. In veteri teſtamento ait Iſaias 12.n.6. *Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël.* Sub Iſraël fidelem populum intelligunt Lyran, & alii, in cujus medio dicitur Chriſtus ad eum ſanctificandum. Et in novo teſtamento, Chriſtum deſignans, ait Baptiſta: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Joan. 1.n. 26.& Chriſtus de ſe ipſo loquens ait, *Ego autem in medio veſtrum ſum.* Luc. 22. num. 27. Inde Chriſtus optima ratione apparet in medio Candelabrorum, hoc eſt, in medio Eccleſiæ, ut eam tanquam verum centrum æqualibus lineis gubernet, & protegat; ideóque homo factus, in medio orbis paſſus eſt, ubi ſita Jeruſalem creditur: juxta illud Pſalm 73.num.12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Tertull. lib. 3. Carmi. contra Marc. cap 4[illegible]. *hic medium terræ eſt, hic victoriæ ſignum.* Ideo autem hoc factum, ut ibi moreretur, ut ait D. Thomas 3 p.q.46. art.10. *Quia virtus Paſſionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit, ideſt, in Hieruſalem, quæ dicitur eſſe umbilicus terræ.*

Joan. 1. Luc. 22. Pſal. 73. Tertull. D. Thom.

344. D. Thom.

Secundò. D. Thomas. In medio Candelabrorum, hoc eſt, in medio Eccleſiarum, ut oſtenderet, ſe omnibus eſſe communem, & à nemine recedere longius, ad neminemque accedere propiùs; ſed omnibus æqualiter adeſſe, ac prodeſſe. Canit David Deo; *Miſericordiam, & veritatem diligit Deus.* Pſal. 83. n. 12 Hebræus legit: *Sol & Scutum Deus.* Deus ſoli, & ſcuto comparatur: Sol ſuam lucem in totum orbem æqualiter diffundit: *Oriens ſuper juſtos, & injuſtos*: Sic & Deus ſplendore ſuæ beneficentiæ pluit non ſolùm ſuper probos, ſed etiam improbos. Sed cur Deus dicitur potiùs ſcutum, quàm galea, thorax, vel ocrea? Scutum non tantum caput, ut galea; aut pectus ut thorax; vel crura, ut ocreæ tutatur, ac ſervat: ſed omnium pariter membrorum flectitur, ac reflectitur in tutelam: ſic Deus tanquam in medio adeſt ad pariter tuendos, ac protegendos omnes homines.

Pſalm 83. *Summa Chriſti æquitas in omnes.* Pſalm. 83. Hebr.

345. Richard.

Tertiò Richardus Victorinus: *In medio eſt*, ait, *quia omnes electi opera illius recta cogitatione pariter contemplantur, & eum pro viribus communiter imitantur.* In medio eſt Chriſtus tanquam ab omnibus fidelibus inſpiciendus, ut ipſum omnes contemplentur, ut ejus exempla ſectantes, eum imitentur Quartò in medio apparet, ut verus Judex, ut bonis det præmium, malis pœnam. Richardus Victorin. *Sic bonis conferi gloriam, ut malos damnet per pœnam.* Sic & Chriſtus crucifixus eſt in medio latronum quorum uni dat præmium gloriæ, alteri ſupplicium gehennæ.

Chriſtus imitandus eſt ab omnibus.

346. Galfrid.

Quintò. Galfridus Abbas tractat. 34 *Non diſſimulemus*, ait, *vel excuſemus, in medio eſt, omnibus ſeſe offerens, omnes vocans, quòd ſi ille in medio eſt, quid miſer angulum quæris, diverticula captas? omnibus ſeſe Chriſtus exhibet, medium omnibus offert auxilium, & exemplum poſtremo occaſionem recedendi ab amico & proximo, quid exquiris? Quandoquidem ſapientia Dei delitias ſuas ait eſſe cum filiis hominum, mediator ſcilicet Dei, & hominum, medium ſolvens inimicitiarum parietem.* Verè dicitur de Chriſto: deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum: tamen quando homines delinquendo, ejus conſortio indigni redduntur, ab eis recedit & longiùs fit: Tamen Joannes non alibi, ſed in medio eum vidit, ut oſtendatur, quod nulla ratio ſubeſſe poſſit, ut cum non invocemus, ac miſericordiam ab eo petamus Non deſperes peccator: Deum malè vivendo offendiſti, adhuc ſuſtinet, & ſi à te recedit, ut adhuc in medio tui ſit; ut te revocet, te benignè recipiat, ſi tu redire velis.

Deus paratus eſt in medio, ut peccatorem recipiat, ſi velit.

347. *Prælati Eccleſiaſtici inſtruuntur ad reſidentiam.*

Sextò. Chriſtus Pontificali habitu indutus, non alibi apparet, ſed in medio Candelabrorum, nempe in medio Eccleſiarum, quarum ipſe erat ſummus Paſtor: ut ex hoc Præſules Eccleſiaſtici inſtruantur, intra fines ſuarum Diœceſum contineri, & non extra eos vagari: ad quod nos exhortatur Chriſtus D dum ait, bonum paſtorem ſe ſuis ovibus præbere audiendum, & videndum: audiendum quidem per verbum doctrinæ: juxta illud: *Oves vocem ejus audiunt.* Joan. 10.n. 3. videndum autem per exemplum vitæ, juxta illud: *Ante eas vadit, & oves illum ſequuntur.* Ibid. n. 4. ſic præfata verba noſter D. Cyrillus Alexandrin. lib. 17. in Joan. cap. 2. interpretatur. Atqui oves paſtorem audire, & videre non poſſunt, niſi præſentem: Ergo manifeſtè jubet, ut præſentem ſuis ovibus ſe exhibeat Præſul, cum eiſque aſſiſtens ſit.

Joan. 10. D. Cyr. Al.

348. *Prælatus omnium oculis eſt expoſitus.*

Septimò. Chriſtus veſtitus, ut ſummus Pontifex, apparuit in medio Candelabrorum, hoc eſt, Eccleſiarum, tanquam omnium oculis expoſitus, à quibus nullo modo effugere valet, aut in angulo ſe abdere. Ut inde diſcant Prælati, ſe eſſe in medio, omnium oculis, judiciis, ac cenſuris obnoxios, indeque rectè agere, ſtudioſè curent. Ait Zachar. 3. num. 9. *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt.* Quiſnam ſit iſte lapis, multipliciter exponitur. Prælatum ac Paſtorem Eccleſiaſticum intelligit Petrus Dam. lib. 2. Epiſtol. [illegible]. ad ſ[illegible] rectè R. B. Epiſcopum: poſtquam adducit citatum locum Zachariæ, ait: *Lapis iſte proculdubio illa petra eſt, de qua verus Ieſus Petro pollicetur, dicens, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Septem autem oculi ideſt, omnium oculi: ſeptenarius enim ſymbolum univerſitatis eſt, ſuper Paſtorem Eccleſiaſticum ſunt omnium oculi, ut ejus facta, ac dicta intueantur, contemplentur, ac obſervent, imitenturque: ſic pergit cit. Damianus loquens cum Cardinalibus. *Vos ergo, dilectiſſimi, quibus datum eſt ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate corrigere, voſmetipſos cæteris non modò fidelibus, ſed & Sacerdotibus, quandam vivendi regulam exhibete. In vita veſtra legatur quid agi, quid vitare conveniat.*

Zachar. 3. Damian.

349. *Chriſtus in medio ut cor, & u. omnibus præſentiſſimum ſe exhibeat.*

Octavò. Chriſtus Dom. exhibens ſpeciem ſummi Principis, ac Sacerdotis, in medio Candelabrorum apparet: quia Princeps in medio populi debet eſſe ad inſtar cordis in medio populi debet eſſe ad inſtar cordis in medio corporis, ut omnibus membris vitam inſpiret, eiſque provideat; omneſque motus, ac facultates inducat, ac gubernet. In medioque erat, tanquam ſe omnibus præſentiſſimum exhibens, omnibus ſe maximè adeſſe oſtendens ut omnibus provideret, regeret, ac proſpiceret. David Pſal. 100.n.2. *Perambulam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Titelman, ibi: *Ecce ego*, ait, *ex munere gratiæ tuæ, ſtudebam converſari in medio familiæ tuæ cum innocentia, juſtitia, & ſimplicitate, quaſi pater in medio filiorum, quaſi Dominus in medio ſervorum, quaſi Paſtor in medio ovium, ſingulos attendens, & conſiderans, ſingulis proſpiciens domeſticis.*

Pſalm. 100. Titelm.

350. Exod. 3.

Promiſit Deus ſuis Exod. 3. num. 17. *Educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, ad terram fluentem lacte, & melle.* Ecce Divina beneficia populo pollicentur, & differuntur in terram illam, & tamen in deſerto maximè divina largitas enituit: mare diviſum eſt; manna in multa abundantia de cœlo deſcendit: latices aquarum in ſterilitate fluxerunt, non fuit infirmus in tribubus eorum: non defecit nubes per diem, & columna ignis per noctem, & plura alia, & ſi Divina promiſſio pro donis exhibendis ſtabat in terra Chananæorum, cur extra illam in ſolitudine tanta largitas declaratur? Ut ſemper ſe Deus oſtenderet cum ſuis, in medioque eorum, ut eos foveat, & regat: ſi enim ſolùm in illa terra promiſſionis ſuam beneficentiam declararet, tantum ibi ſuis adeſſe exiſtimaretur: ideo extra illam regionem in Ægypto, ac eremo multa fecit, ut teſtaretur, in omni regione, loco, ac parte cum ſuis eſſe, eiſque præſentiſſimum adeſſe, ut eos foveat, eiſque provideat. D. Chryſoſt. homil. in dictum Apoſtoli: *Nolo vos ignorare fratres*, &c. Sic ait: *Concluſurus illos erat in unum orbis locum, & viſurus, ut ſibi ibi perpetuò miniſtrarent. Ne igitur ſeparatæ religionis ritu, providentiam ſuam illic concludi putarent, quaſi unius regionis Deus eſſet, prius ſuam virtutem in aliena regione declarabat, in Ægypto, in Eremo.*

Deus in omni loco præſentiſſimus eſt ſuis. D. Chryſ.

Poſtquam Chriſtus D. paucis panibus quinque millia hominum ſatiavit, diſcipulis ait: *Colligite, quæ ſuperarunt fragmenta.* Joan. 6 n. 12. multiplicatio hæc panum facta eſt ad turbas illas cibandas ad quid ordinatum, ut tanta fragmenta ſupereſſent? Ut ejus potentia, ac providentia oſtenderetur, quod ſic in ſuorum medio erat, eiſque præſentiſſimus aderat, ut non ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes, illoſque non tantùm pro illo tempore, ſed etiam pro futuro ſatiare vellet: ſicque declara[illegible]tur, quod pro [illegible] ſuorum neceſſitate ille ſufficientiſſimus erat D. Baſil. Seleuc. oration. 33. *Ideo nunc Dominus panes multiplicat præter neceſſitatem, ut potentiæ defenſionem, eumque cogitandum relinquit, qui eſcam porrigit omni carni.*

D. Baſil. Sel.

QUÆSTIO XLVII.

Quare Joannes ait, non quod viderit filium hominis, ſed ſimilem filio hominis?

351. CHriſtus Domin. repræſentabatur hic Joan. ut dicitur, ſimilis filio hominis undenam potuit Joannes dignoſcere filium eſſe hominis, vel ejus ſimilitudinem gerere, qui apparuerat? Num ex capite? Equidem, *caput ejus, & capilli erant candidi, ſicut lana alba, & tanquam nix.* At caput Chriſti aurum vincit fulgore. Num ex oculis? Profectò, *oculi ejus tanquam flamma.* Oculi ejus. *oculi columbarum* dicuntur Cant. 1.n. 15. Num ex facie? Certe, *facies ejus, ſicut Sol lucet in virtute ſua.* At quis faciem Solis meridiano nitentis fulgore intuitus eſt? Non ergo potuit filius hominis ex micante facie dignoſci. Undenam itaque cognitus eſt à Joanne? Crediderim ex manibus atque pedibus: *Habebat enim in dextera ſua ſtellas ſeptem; & pedes ejus ſimiles aurichalco.* Agnitus eſt ergo ex manibus, ac pedibus; ex manibus ejus beneficis, à quibus ſui, tanquam ſtellæ, conſpicui, ac fulgurantes multis donis redduntur; ex pedibuſque ejus ignitis amore, exultantibus inſtar gigantis ad currendam viam ſalutis.

Can. 1. *Chriſtus agnitus eſt ex beneficentia ac amore.*

353. Matth. 16. Ibid. 8.

Quæſtio tamen tota eſt: Chriſtus paſſim dicitur filius hominis. Matth. 16. *Quem dicunt homines, eſſe filium hominis?* Matth. 8. *Filius hominis non habet, ubi reclinet caput.* Cur non dicitur viſus filius hominis, ſed ſimilis filio hominis? Ad quod reſpondent, primò Gagnæus, Cornelius à Lapide Mag. Joannes la Hay: quod dicitur, Chriſtum apparuiſſe ſimilem filio hominis, hoc eſt, hominem. Homo enim homini eſt ſimilis: & Chriſtus in ſimilitudinem hominum factus eſt, dum habitu inventus eſt ut homo. Phraſis Hebraïca eſt, ut ſimilitudo rei veritatem ſignificet.

Gagnæus. Cornel. La Haye.

354. *Chriſtus oſtenditur, prout erat in ſuis.*

Secundò, dicitur, *ſimilem filio hominis*, quia per omnia non erat hominis ſimilitudo, quæ apparebat: habebat enim pedes ex aurichalco, ut in camino ardenti: oculos tanquam flammam ignis: & vocem ut aquarum multarum: per quæ exprimebatur, qualis Chriſtus eſſet, non in ſe ipſo, ſed in ſuis. Sic Cant 5. à numero 10. uſque ad finem capit. deſcribitur Chriſti ſpecies ac figura, non tantum prout ipſe in ſe eſt, ſed etiam prout in ſuis præclara, & illuſtria operatur, ut commentatur D. Greg. Nyſſen. D. Paulin. D. Ambr. D. Greg. Philo Carpat. & Honorius.

Cant. 5. D. Nyſſen. D. Paulin. D. Ambr. D. Gregor. Carpat.

355. Tertiò. Dicitur: *Similem filio hominis*, quia non Chriſtus D. in ſeipſo realiter, ſed Angelus perſonam, & ſimilitudinem Chriſti repræſentans, loquebatur cum Joanne, ac ei hæc myſteria revelabat: ſicut & reliqui Dei vates in ſuis imaginariis, ac intellectualibus viſionibus non rem ipſam realiter exiſtentem intuebantur, ſed ejus ſimilitudinem per ſpeciem repræſentatam, quod